

2929

LITURGICI.

2930

Vespertinae uel Nocturnae, quarum priores habentur *Murat. col. 246.* posteriores *col. 258.* Atque nunc tandem succedunt *Missae Dominicales post Pentecosten*, ut sunt apud *Murat. col. 164.* et *Dominicales per Adventum cum quatuor temporibus*, ut *Murat. col. 133.* Finem faciunt *Missae: Pro Pace. Pro Caritate. In Tempore Belli. Pro Rege. Pro Episcopis uel Abbatibus. Pro cuncta Congregatione, Pro Fidelibus. Communis. Pro Familiaribus. Uiuorum ac Mortuorum triplex. Pro Elemosina. Pro Petitione Lacrimarum. Pro Temptationibus. Pro Iter Agentibus. Pro Amico Uiuo triplex. Pro Infirmis. Missa Fidelium* abrupta. Hae pae-ne omnes sed alio ordine, et saepe aliter inscriptae reperiuntur apud *Murat. saepe cit. col. 187 — 224.*

E *Gallia* aut *Belgio* olim allatum *Codicem* uero simile facit *Missa in Natali S. Leudegarii* supra adducta.

DCCCIX.

¹⁵⁴ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. et XV. Folior. 316. f. quorum tamen multa vacua sunt, est *Liber Collectaneorum variorum theologici argumenti*, quae more nostro indicabimus. I. *Incipit ordo ecclesiasticus Romane ecclesie: uel qualiter missa celebratur.* Initium: *Primum omnium obseruandum est: septem esse regiones &c.* Finis: *et intrat in secretarium.* Habetur in *Melch. Hittorpii L.*

de diu. Cath. Eccl. Off. Colon. 1568. p. 9. f.

II. *fol. 19. Sequentiae et Hymni ecclesiastici complures*, praetextis saepe *modulis musicis*, maximam partem *Natalem Domini* celebrantes, hinc inde etiam re-fecti, sed antiquioribus collati garruli et elumbes. Videntur cujusdam *Ludi Magistri in Bohemia* uel *Moravia* Opus; nam *fol. 71. p. 2.* Strophæ etiam bohemica legitur.

III. *fol. 191. incipiunt PP. et Scriptorum ecclesiasticorum Loca collecta de Communionem sub utraque specie, clara recitatione uerborum Institutionis sacrae Coenae; lingua populari in Sacris, Iustificatione, Ritibus, Caelibatu, Purgatorio, Poenitentia et Confessione, Constitutionibus Ecclesiae et autoritate Conciliorum, extrema Unctione, Matrimonio, Monachatu, Votis, Jejunio et delictu Ciborum, et de Haereticis. Collectio haec ab homine dissidente ab Ecclesia Rom. facta videtur. Inter alia p. 214. locus prolixus de cultu SS. adfertur ex Libello, cui Titulus Speculum Antichristi, quem Job. Wiclefi arbitror.*

IV. *fol. 239. Incipiunt Orationes de Septem poenitentialibus psalmis.* Margini adscriptum: *Alcuius esse creditur.* Habetur in *Collectione Precum Ecclesiasticarum, Opp. Georgii Cassandri p. 315. Paris. 1616. f.*

V. *fol. 241. Sequuntur Hymni, qui nunc quoque in Horis*

D d 3

Cano

2931

C O D I C E S

2932

Canonicis obtinent demto longiore ad *Completorium*, qui incipit: *Christe, qui lux es et dies &c.*

*Sancte Sator,
Suffragator,
Regum lator,
Largus dator,*

Alius item nihilo mellior inscriptus: *Versus de contemptu Mundi*, hoc initio: *Audax es uir iuuenis. dum feruet caro mobilis &c.* Item Hymnus *Bedae*, qui incipit: *Primo Deus coeli globum &c.* et legitur apud *Cassandrum cit. p.*

*Subfragare trinitatis vnitas
Vnitatis miserere trinitas &c.*

Ubi ad membrorum censum delabitur, *Plautinum te Cocum*, aut *Merlinum Coccajum* audire cre-

*Tege pilos atque membra reliqua
Quorum forte preteriui nomina &c.*

Constat versibus 92. et inscribitur *Hymnum Luticæ*, quod si quis a *Luta*, quod medio aevo pro *Lusta* legitur, derivare velit, Hymnum ejusmodi olim *Luctatoribus* pugilatum professis (*Luttatore*, *Lutteur*, nobis *Ringer*, *Anglis Boxer*) familiarem fuisse statuet.

VI. fol. 249. *Notitia Provinciarum, Metropoleon et Civitatum Galliae*. Nuda nomina, eaque admodum imperite scripta. Melius T. I. *Scriptt. Hist. Franc. Du Chesnii*.

Adjacet *Oratio ad Matutina et Completorium*, et Rhythmus quidam leviculus:

*Iure pollens
Equi potens
Nunc in aethra
Firma petra &c.*

195. inscriptus de *universis Dei Operibus*. Hymnus demum fat mendose scriptus, rudis et superstitiosus, quo quis omnes vel minimas corporis sui partes Deo protegendas prorsus *ἀνατομικὰς* adnumerat. Incipit vero:

das, et licet, ut dixi, accurate percenseat omnia, subdit tamen anxius:

VII. fol. 261. *Incipit Libellus de pseudo apostolis*. Additur in ora: *Guillelmi de S. Amore. Impressus Basilee sed corrupte*. Initium: *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare stebunt. Isa. 33. Sicut prophetae in sacris literis appellantur videntes &c.* Extat sub titulo de *Periculis novissimorum Temporum* in *Guillelmi Opp. omn. Constantiae* (reipsa *Parisiis*) 1632. p. 17. 4. et quidem integrius; deficit enim nobis ab illis verbis: *Cum igitur veritas divinae Scripturae &c. pag. edit. 72. Neque puto unquam*

2933

LITURGICI.

2934

unquam *Basileae* impressum fuisse, quamvis et ipse editor Parisinus, quem *Job. Cordesum* fuisse censent, in *Indice* praevio id dicat, deceptus forte a binis *Guiljelmi Sermonibus de Pbarisaeo et Publicano*, et in *Festo Apost. Philippi et Jacobi*, quos utique *Wolfg. Wissenburgius* in *Antilogia Papae Basil.* 1555. 8. publicavit, et ex ea *Edw. Brownius* in *Append. ad Fascic. Rer. expetend. &c. Lond.* 1690. ad pag. 43. f. retulit; unde emendandus etiam est *Jöcherus* in *Lex. Erudit.* adferens Opusculum nostrum in citata *Brownii* Collectione reperiri. De *Guillielmo* ceterum plura dicta sunt *Cod. DXLIII.* et seqq.

VIII. fol. 307. Sequuntur scripta *Sec. XV.* Et quidem I. *Johannis XXII. Literae* adversus tres Propositiones *Johannis de Poliac* circa jurisdictionem sacram Mendicantium, quae incipiunt: *Vas electionis doctor eximius &c.* legunturque inter *Extravag. comm. L. V. de Haeret. c. 2.* ubi datae dicuntur VIII. kal. Aug. nobis vero XI. kal. Aug. sed recentior manus adjecit: *Anno Domini M. CCLXXII.* qui debet esse *MCCC. XXI.* utpote *Johannis quintus.*

IX. fol. eod. p. 2. *Bulla alexandri quinti.* Incipit: *Regnans in excelsis triumphans ecclesia &c.* Roborantur per eam Constitutiones Praeceptorum in favorem mendicantium editae, et articuli oppositi rursus damnantur. Data est *Pisis III. idus Octobris* Pontificatus anno primo, qui est *MCCCC.*

IX. Deest in *Bullario Romano*, sed adi *Ciaconium* in *Vit. Pontiff. T. II. col. 783.* et *Egassium* in *Hist. Univ. Paris. T. V. p. 196.*

X. fol. 310. Acta circa hanc *Bullam* in Concilio *Constantiensi*, quae I. complectuntur *Petitionem Universitatis Parisinae*, ut haec *Bulla* tanquam extorta aut subreptitia a Concilio aboleatur. Initium: *Oblata reformatoibus in Constantia per nuncios Universitatis Studij parisiensis. Quia Reuerendissimi Patres et insignes domini Alma mater nostra uniuersitas studij parisiensis semper habuit et habet zelum legis &c.* II. *Responsio data per fratres mendicantes oblata reformatoibus.* Incipit: *Reuerendissimi in christo patres et domini metuendissimi ad petitionem ut fertur factam ex uniuersitate venerabilis studij parisiensis, qua petitur ut per hoc sacrum Concilium generale reuocetur quedam bulla &c.* III. *Articuli* quidam sic inscripti: *Magistri parisienses rogaerunt Magistros aliarum uniuersitatum quatenus eis consulerent an infra scriptos articulos petere deberent a sacro Concilio et si sic quod tunc eis in hoc assistere dignentur.* Non igitur erat contenta *Uniuersitas Parisina* revocatione *Bullae Alexandrinae* per *Johannem XXII.* facta *Bononiae 5. kal. Jul.* anno suo primo id est 1410. sed eam a Concilio etiam generali antiquari voluit. Ceterum, quae in hac controversia hic acta indicavi, nec apud *Herm. von der Hardt* in *Conc. Const.* nec apud *Egass.* *Bullaeum* in *Hist. Univ. Paris.* nec in

2935

C O D I C E S

2936

in edit. *Opp. Job. Gersonii*, qui inter Delegatos fuit, reperio, ut adeo et inedita esse conjiciam, et sine caruisse, cum Reformatores a Concilio nominatos non usque ad res *Ordinum mendicantium* progressos fuisse autumem.

DCCCX.

359 Codex membranaceus lat. Sec. XI. Folior. 73. f. bene scriptus, rubricisque distinctus est *Benedictionale* constans *Capitibus* XLI. quorum Tituli sequuntur: *De scrutinio. De Baptismo. De confirmatione. De bened. ignis in cena domini. De reconciliatione penitentium. De ordine in cena domini. De bened. ignis. De bened. agni in pascha. De dedicatione ecclesie. De bened. corporalis. De bened. lintaminum uasorum aliorumque instrumentorum ecclesie. De bened. uestimentorum sacerdotalium. De bened. albarum planetarum stolarum cingulorum. De bened. eucharistialis uasculi. De bened. patenę. De bened. calicis. De bened. crucis. De bened. crucis metallizatę. De bened. thuribuli. De bened. incensi et thimiamatis. De bened. capsarum. De bened. ciborii. De bened. tabule itinerarię. De bened. baptisterii. De bened. campanę. De bened. sacrorum ordinum. De bened. sacrarum uirginum. De bened. uestimentorum earundem. De bened. sacri uelaminis. De bened. uirginumque conuertuntur. De bened. uiduarum castitatem profitentium. De bened. uestimentorum earundem. De bened. abbatissę canonicam profiten-*

*tis regulam. De bened. abbatissę monachicam regulam profit. De bened. abbatis. De bened. clerici faciendi. De bened. maiori aque et salis. De bened. minori salis et aque. De ordine in purificatione. De ordine palmarum. Ordo pro morientibus et mortuis. Quibus accedit Ordo ad unguendum Infirmum. Rubrica C. I. sic incipit: Sabbato Sancto Paschae ueniant ad ecclesiam qui baptizandi sunt cum patrinis et matrinis &c. Sequitur Exorcismus: Nec te latet satanas imminere tibi penas &c. Ordinem hunc inuenio e *Cod. Calensi* 800. circiter annorum editum ab *Edm. Martene T. I. de ant. Eccl. Ritib. Antwerp. 1736. L. I. c. 1. col. 190. f.* Atque ita et reliqua *Cod. nostri* cum per vastum hoc opus, tum per *Liturgiam vet. Romanam a Muratorio, Gallicanam a Mabillonio et Alemannicam a Mart. Gerberto* editam sparsa leguntur. Ad Ecclesiam aliquam e posterioribus pertinuisse suadent nomina Sanctorum, quae fol. 15. p. 2. in *Litaniis* recitantur, puta: *cbiliani cum sociis, Galli, Ruodperti, Corbiniani, Uualdpurgis, Radegundis et Erintrudis*, neque fortassis a vero aberit, qui *Salisburgensi* tribuet, motus hac oratione pro Defunctis, quae extat fol. 71. *Adiuua nos domine deus noster. beati ruodperti confessoris tui. omniumque sanctorum tuorum precibus exoratus. et animas famulorum famularumque tuarum omnium in christo. et in circuitu huius ecclesie quiescentium. in beatitudine sempiternę lucis constitue. Per &c.**

DCCCXI.